



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

37. An milites non subditi alicuius Principis teneantur inquirere iustitiam belli, quia milites subditi ad hoc non teneatur? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. r. 32.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

causam, vbi re ipsa iniquissima est; & quia nihil ad Regem immediate peruenire potest, sed omnia per eos mittuntur; & sicut rerum colores per vitra varij coloris immutantur, vt quæ alba sunt, apparent viridia; & viridia rubra, ita, &c. inde fit vt non possit quis, quantumvis de bona conscientia Regis ei conset, facere inde præsumptionem de belli iustitia. Vnde amici, ad quos liberius perueniunt rationes, in vtramque partem, quando habent potentes rationes contra iustitiam belli, & nunquam audiunt alias sufficienter compensantes; meritò possunt, & debent timere, ne ibi fraus lateat, & Rex decipiatur; ideoque non sufficienter exculabuntur, si leuiter credant: neque iuuabuntur ob bonam Regis famam, nisi etiam ipsius ministri, & à prudentias, & à timore Dei reddantur in hoc puncto, & in alijs omni suspitione maiores: tunc enim facilius, credi potest, eos habere iustas causas, etiamsi eas non vulgè passim. Et hæc omnia docet Arriaga loco citato cui Ego etiam adhæreo: & vti nam hodie ab aliquibus considerentur.

## RESOL. XXXVII.

*An Milites non Subditi alicuius Principis teneantur inquirere iustitiam belli quia Milites subditi ad hoc non teneantur? Ex punct. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 32.*

**M**ilites subditi ad hoc non teneantur, difficultas est de militibus non subditis, & quia calus in praxi frequenter potest accidere, ego in 2. part. tract. 5. resol. 36. adduxi aliquos Doctores pro negatiua sententia, quibus nunc addo Castrum Palatum in opere mor. tom. 1. disp. 2. punct. 3. num. 4. vbi sic ait. Valde probabile est eodem modo milites non subditos bellare posse, ac possunt subditi, neque aliquam esse inter illos differentiam, quia cuiuslibet licitum est alterum iuuare in re, quæ præsumitur iusta, præcipue cum non leue emolumentum inde accipiat! cum igitur bellum præsumatur iustum, & dum de iustitia non constat, efficitur posse quemlibet in illo iuuare. Ita ille. Negamus igitur cum Sanchez in summ. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 16. Molina præf. de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 114. & alijs, milites non subditos non posse bellare, nisi certitudine moralis constet illis bellum iustum esse. Id ego puto, si milites tam subditi, quam non subditi dubium habent positium, hoc est, rationes probabiles pro vtraque parte de iustitia belli, posse se illis conformare: si autem rationes ita sint vrgentes de iniustitia belli, vt dicti milites probabiliter nequeant illas soluere, teneantur tunc aliquo modo veritatem inquirere ne se periculo morali iniustitiæ exponant; tamen hoc onus addit Palau ex Suarez non esse facile militibus imponendum.

## RESOL. XXXVIII.

*An Miles extraneus, vt licite possit militare in Exercitu alicuius Principis teneatur examinare iustitiam belli? Et si tales Milites postea comperiant à parte ipsorum bellum fuisse iniustum, teneantur restituere damna, que dederunt? Ex part. 11. tract. 5. & Misc. Ref. 28.*

**D**ixi militem extraneum, nam subditum minimè teneri: tradunt communiter Do-

ctores. Difficultas igitur est de milite non subdito, & affirmatiuè respondent plures Doctores, quos ego alibi adduxi, & plena manu adduxit Metolla tom. 1. disp. 3. c. 3. n. 327.

2. Probatur hæc opinio, tum quia miles in tali casu exponit se periculo inferendi damnum iniustum aduersarijs, quibus, vt damnum iuste inferatur, debet esse in inferente moralis certitudo de iustitia, tum quia nulla necessitas eum cogit ad obtemperandum Principi non superiori, & cum tali periculo; atque vt habetur regul. 19. de regul. iuris in §. non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet, se immiscet, nempe rei periculose, & quæ alteri damnum affert.

3. Deinde quoties quis speculatiuè dubitat, an talis res licita sit, tenetur quoque practicè dubitare, nisi aliqua ratio specialis cogat variare iudicium practicè practicum, stante contraria speculatiuè: at quoties subito præcipitur aliquid, de cuius honestate ipse dubitat speculatiuè, adest specialis ratio cogens ad contrarium iudicium practicum formandum; nempe præceptum Superioris, in eo dubio possidentis. Cum ergo hæc ratio celsè in non subditis, non poterunt stante iudicio speculatiuè dubio contrarium practicum concipere, vt vel sic possint licè cum eo dubio speculatiuè operari.

4. His tamen non obstantibus, aliqui quis quidem probabiliter, contrariam sententiam tenent, & non admittunt supradictam distinctionem inter militem subditum, & extraneum: Probatur hæc opinio, primò, quia vel actio ipsa secundum se, secluso præcepto superioris, est licita, vel non est licita, si est licita, etiam non subditus poterit ad eam concurrere: si non est licita, neque etiam subditus poterit, quia actionem secundum se illicitam non potest superior, præcipere, neque eam licitam reddere, quando ipse non potest dispensare in lege, quæ reddit actionem istam illicitam. Secundò probare potest, quia si alienigenæ qui stipendio accepto se prius alicui Principi addixerant, possunt in d. bio militare: ergo poterunt etiam de nudo se eius obsequio addicere post exortum bellum: quod enim in primo casu inueniantur iam obligati ad ei obsequendum ex pacto antecedenti, parum refert, solum enim se obligarunt ad inferendum, & obediendum in iis, ad quæ se poterant obligare. Si ergo postea non possunt se ad illud bellum obligare propter periculum iniuriæ, cui se exponant: nec etiam antea ad id se obligarunt. Tertio denique quia non omnes subditi obligantur Principi sui præcepto ad militandum, sed maior pars sponte bellum suscipit; ergo si hi possunt auctoritate sui Principis absque obligatione dubium deponere, & militare; poterunt etiam non subditi: nam Principis auctoritas eandem efficaciam habet ad mouendum non subditum, vt dubium deponat, quam habet respectu subditi, quem præcepto non obligat.

5. His suppositis ad quæstionem propositam respondeo, licitum esse militibus regi subditis, & cuiuscumque etiam extraneo sub Principe militare, quotiescumque constat regem esse hominem iustum, & prudentem, qui non nisi summo consilio bellum solet mouere, quia hoc sufficit, vt milites bellum iustum esse præsumant.

6. Itaque Principes, & personæ etiam non subiectæ bellanti, qui dum vident principem probum, & habentem probos consiliarios mature bellum indicentem, bona fide sibi persuadent iustam esse

M m causam

Alibi in Ref. præterita, à principio, & in Ref. 1 post seq. §. Tertia ad medium, & infra in Ref. 51. recitatur in §. 6. vt.